



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De mediatore. F

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

impleuit, per quæ iustificati sumus, & ipsam iustificationem est operatus potentia deitatis cum Patre, & Spir. S. Est ergo redemptor, in quantum est Deus, potestatis vlti: in quantum homo humilitatis effectus. Et sepius dicitur redemptor secundum humanitatem, quia secundum eam & in ea suscepit, & impleuit illa sacramenta, quæ sunt causa nostræ redemptionis. Proprie ergo filius dicitur redemptor.

De Mediatore.

i. Tim. 2. b
August. ad
versum 28.
Psal 103.
Draco iste
quomodo
rom. 8.
Iob 32. h.
Rom 2. b
Sapient. 11. d

Aug. in libr.
de Tri. 13. c.
16. ad fin.

Qui solus dicitur mediator, non Pater vel Spir. S. De quo Apost. vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, i. per hominem quasi in medio arbiter est ad componendam pacem, i. ad reconciliandum homines Deo. Hic est arbiter quem Iob desiderat. Vt inam esset nobis arbiter. Reconciliati enim sumus Deo, vt ait Apost. per mortem Christi, Quod non sic intelligendum est quasi nos si reconciliauerit Christus, vt inciperet amare quos oderat, sic reconciliatur inimicus inimico, vt inde sint amici qui ante se oderant: sed iam nos diligenti Deo reconciliati sumus. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem filii, nos coepit diligere: sed ante mundum, priusquam nos aliquid essemus. Quomodo ergo nos diligenti Deo sumus reconciliati? Propter peccatum cum eo habebamus inimicitias, qui habebat erga nos charitatem, etiam cum inimicitias exercebamus aduersus eum, operando iniquitatem. Ita ergo inimici eramus Deo, sicut iusticie sunt inimica peccata & ideo dimissis peccatis tales inimicitie finiuntur: & reconciliantur iusto quos ipse iustificat. Christus ergo dicitur mediator, eo quod medi⁹ inter Deum, & homines ipsos reconciliat Deo. Reconciliat a. dum offendicula hominum tollit ab oculis Dei, i. dum peccata delet, quib. Deus offendebatur, & nos inimici eius eramus. Sed cum peccata delet non solus filius, sed & Pater & Spir. S. quorum deletio est nostra ad Deum recon-

reconciliatio, quare solus filius dicitur mediator?
 Nam de Patre legitur, quod reconciliauerit sibi
 mundum. Ait enim Apost. Deus enim erat in Chri-
 sto, mundum sibi reconcilians. Cum ergo reconcili- 2. Cor. 5. &
 lier, quare nō dicitur mediator? Quia nec medius
 est inter Deum & homines, nec in se habuit illa sa-
 cramenta, quorum fide & imitatione iustificamur,
 id est, reconciliamur Deo. Reconciliauit ergo nos
 tota Trinitas virtutis usu, scil. dum peccata dele-
 sit, sed filius solus impletione obedientiæ: in quo pa-
 trata sunt secundum humanam naturam ea, per
 quæ credentes & imitantes iustificantur.

Secundum quam naturam sit melior.

G

Vnde & mediator dicitur secundum humanita-
 tē, non secundum diuinitatē, non enim est media-
 tor inter Deum & Deum, quia tantum vnus Deus. *Aug. in libr. confessio- num 10. c. 43 ad princip. tom. 1.*
 sed inter Deum & hominē, quasi inter duo extre-
 ma: quia medius esse non potest, nisi inter aliqua.
 Mediator est ergo, in quantū homo. Nam in quan-
 tum Deus, non mediator, sed æqualis patri est, hoc
 idē, quod pater, cum patre vn⁹ Deus. Mediat ergo
 inter homines & Deum trinitatē, secundū homi-
 nis naturam in qua suscepit illa per quæ recōcilia-
 mur Deo trinitati: & secundū eandē habet aliquid
 simile Deo, & aliquid simile hominibus quod me-
 diatori cōgruebat: ne per omnia similis hominib.
 longe esset à Deo, aut per omnia Deo similis longe
 esset ab hominib. & ita mediator non esset. Verus
 ergo mediator Christ⁹ inter mortales peccatores,
 & immortalē iustum, apparuit mortalis cum ho-
 minib. iustus cum Deo, per infirmitatē propin-
 quās nobis, per iustitiā Deo. Rectē ergo mediator
 dictus est, quia inter Deum immortalē & hominē
 mortalē est Deus & homo, recōcilians hominem
 Deo: In tantum mediator, in quantū est homo: In
 quantum autē verbum non est medius, quia vnus
 cum patre Deus. Si ergo Christus secundum vos, &
 here-